



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Feminarum loquacitas & levitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

contumelijs ac minis incesferent, subito in *picas* sunt versa, & quod Poëta canit:

Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit,
Raucaque garrulitas, studiũmque immane loquendi.

Ethica.

I. (a) Refertur hæc fabula in feminarum loquacitatem ac levitatem; quid enim notius, quàm *picas* garrulitas, & inquieta per ramos arborum defultatio? Sallustius de Sempronia Gracchorum matre: noverat psallere, saltare elegantius, quàm necesse est probæ. In quare multas imitatrices habet, quas juvat ad numeros, leviculos movere pedes, & viros fatigare saltando. Atque hæ volucres, hominum fidem! quot ubique pullos excludunt! in qua domo aut familia non est reperire ejusmodi *picas*, arrogantes, garrulas, saltatrices, convitiatrices? Juvenalis de harum inter se consortio:

Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas
Pulsari,

Quibus verbis alludit ad *æs Dodonæum*, quod in Proverbium de loquacibus abiit. Tradunt enim, in nemore Dodonæ urbis, regionis Chaoniæ, vicino, Jovique sacro, duas columnas fuisse; in una quidem positam pelvim æneam: in altera pensile simulacrum pueri, flagellum æneum manu tenentis; quoties autem ventus vehementior flaret, factum esse, ut scutica impulsa crebrius lebetem feriret, isque percussus tintinnum redderet, totâ Silvâ resonantem. Hoc taxantur homines impendiò loquaces, præsertim femine, quas si verbulo tangas, continuo tam multiplici strepitu personat linguæ crepitaculum aut tintinnabulum, ut totis ædibus, imò plateis audiatur. Aliud ad hanc fabulam adagium pertinet: *Pica lusciniam*, scilicet provocat, quod in eos convenit, qui longè impares arte vel ingenio, audent peritos ac doctos in certamen vocare. De quo in Marſya egimus.

II. (b) Pulchrior à Musis tam doctrina, quàm eruditio petitur, quæ Cupidineis intactæ sagittis, perpetuam virginitatem colunt; nempe *Sapientia* & *Castitas* sorores sunt. Salomon in Prov. c. 7. *Dic Sapientia, soror mea es: & Prudentiam voca amicam tuam.* Est enim studium litterarum ac sapientiæ optimum remedium ad fugiendam libidinem, & castitatem servandam; quia mens occupata studio, non cogitat de ob-

R 3

scena

(a) *Feminarum loquacitas & levitas.* (b) *Sapientia comes castitas.*